

# **PROLOGUS IN QUATTUOR SERMONES IN FESTIVITATIBUS BEATAE MARIAE VIRGINIS**

***Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis; quasi ignis effulgens et thus ardens in igne, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, quasi oliva pullulans, et cypressus se in altitudinem extollens (Eccli 50, 6-11). Ecce duodecim lapides pretiosi in diademate capitis Aaron (Cf. Ex 26, 17-21.36-38). Ecce duodecim stellae in corona gloriosae Virginis, ad cuius laudem, secundum ipsius quattuor festivitates, scilicet Nativitatem, Annuntiationem, Purificationem et Assumptionem, istam auctoritatem Ecclesiastici in quattuor sermonibus volumus dividere et unicuique festivitati breviter, prout ipsa dederit Domina, concordare.***

***Sermo in ipsius Nativitate: Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis. In Annuntiatione: Quasi sol refulgens, et quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae. In Nativitate Domini: Quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae. In Purificatione: Quasi thus redolens in diebus aestatis; quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne. In Assumptione: Quasi vas auri solidum etc.***